



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Vt, percepto forefacto, statim cessetur à Divinis, ne quis possit se per  
crassam ignorantia[m] excusare. 42

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

interdicto , celebraverit , & sic irregularis, in continenti non destiterit, aut intra quindecim dies non satisfecerit Nobis & Ecclesia ; ex tunc incurrat ipso facto excommunicationis sententiam, quam in hujusmodi praesumptores ferimus in his scriptis. In qua excommunicatione si per quindecim dies contumaciter perduraverit, negligens satisfacere, ex tunc sit ipso facto omnibus beneficiis Ecclesiasticis , qua habet, destitutus : & , si illi , ad quos Beneficiorum hujusmodi collatio pertinuerit, ea aliis personis non contulerint intra mensum, eorum collatio ad proximum Superiorum devolvatur. Si vero beneficium Sacerdos non habuerit , hujusmodi sit post tempus praedictum inhabilis in perpetuum ad aliquod obtinendum.

**X L II.** *Vt , percepto forefacto , statim cessetur à divinis , ne quis per crassam ignorantiam se possit excusare.*

\* Decanii.

**C**eterum, ne aliquis Prælatus, Archidiaconus, Præpositus,\* Decanus Capitulo-rum & Christianitatum , aut Rector Ecclesiae vel Capellæ , per crassam ignorantiam ab obseruationibus sententiarum prædictarum se valeat excusare, cum difficile sit, singulari denunciatione singulorum auribus inculcari captivitatem Clerici vel spolium Ecclesiae vel Ecclesiastice personæ , aut aliud quocunque forefactum propter quod loca aliqua continet esse interdicta , sicut superius in pluribus locis est expressum : statuimus, ut Prælati, Archidiaconi , Præpositi , Decani & Reatores seu Vicarii , quam cito captivitas Clerici vel spolium , aut aliquod forefactum , de quibus est supradictum, ad eorum notitiam, vel fama deferente, vel alio quocunque modo pervenient, statim cessent à divinis, ubi hoc juxta præmissa fuerit faciendum , & ad obseruationem & executionem dictarum sententiarum per se vel alios teneantur. Alioqui, non obstante excusatione crassæ ignorantiae , poenis & sententiis subjaceat supradictis.

**X L III.** *Vt hæc statuta ad personas Ecclesiasticas cuiuscunque Ordinis extendantur.*

**S**tatuimus item , ut ad Monasteria & bona eorum , & ad Monachos & alias religiosas personas cuiuscunque Ordinis , Civitatis & Diœcesis Coloniensis , hujusmodi statuta extendantur , & Monachorum Prælati , & Monachi , ac alia personæ religiosæ , ad obseruationem & executionem teneantur eorumdem. Et, si aliqua personæ religiosæ , cuiuscunque Ordinis existant , se voluerint, occasione alicuius privilegii , ab executione seu obseruatione statutorum istorum tueri vel excusare; prædictorum statutorum auxilio non juventur.

**X L IV.** *Vt hæc statuta , ne aliquem latere possint , tam in Capitulis quam in aliis locis , sepius publicentur.*

**S**tatuimus item , & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ , ut hæc eadem statuta, per omnes Ecclesiæ conventuales & Parochiales & capellas civitatis & Diœcesis Coloniensis , singulis annis , ne aliquem latere possint , sepius publicentur , & in Capitulis ruralibus perlegantur.

*Capitula  
ruralia*

**X L V.** *Vt nomina sacrilegorum , posita in Registro , sepius recitentur.*

**E**T nomina eorum , qui contra Ecclesiæ seu personas Ecclesiasticas aliquo modorum supradictorum excesserint vel deliquerint, statim, cum hoc factum fuerit, ponantur in Registro , & sepius recitentur in publico, ut sciri possit ex qualitate facti & ejus circumstantiis , nec non ex dilatione satisfactionis, qualiter sit contra excedentes & delinquentes hujusmodi procedendum ; nec deleantur eorum nomina , nisi congrua satisfactione precedente. Si quid vero dubii aut difficultatis, super præmissis, emerserit, hoc Nobis, Capitulo & Prioribus Coloniensis , reservamus declarandum.

Nos vero , Capitulum, Prælati , & alia Capitula majoris & aliarum Ecclesiæ Civitatis & Diœcesis Coloniensis , plenam in Domino fiduciam obtinentes, quod, per statuta hujusmodi , Ecclesiæ & Monasteriis , & personis tam Ecclesiasticis quam religiosis , in spirituilibus & temporalibus provisum sit , & beat provideri ; ad obseruationem corundem statutorum, bona fide, omni fraude & dolo exclusis , firmiter obligamus ; sigilla Ecclesiæ Nostrarum eisdem statutis in testimonium apponentes. Datum anno Domini millesimo duecentesimo sexagesimo sexto , sexto Idus Maii.

Hæc omnia & singula statuta , autoritate præsentis Concilii Provincialis , in omnibus suis modo & forma & clausulis & tenoribus ac pœnarum adjectionibus, ad totam Nostram Provinciam extendimus , & statuta Provincialia facimus : Decernentes , ea , ut statuta Provincialia , debere teneri & observari , sic quod in qualibet Civitate & Diœcesi Provincialiæ Nostræ ea teneantur & observentur, sicut sub verbis Nostræ Civitatis & Diœcesis , tanquam Synodalia , sunt concepta ac promulgata & hactenus observata : falsis tamen aliis statutis Synodalibus Ecclesiæ Nostræ Coloniensis , à Nobis sive à Prædecessoribus nostris , editis ; ac etiam statutis Suffraganeorum Nostrorum , si quæ habent ; quibus , si reperiantur in aliquo præsentibus statutis con-